

fecerint incrementis, certam tamen non habentes regulam sibi a sede apostolica confirmatam nullumque professe ordinem sunt quasi errabunde pastoris solacio destitute. Quare nobis extitit humiliter suppli(catum), sibi super hoc salutari consilio provideri. Nos igitur earum^{c)} pium propositum in domino commendantes tibi tenore presencium committimus et mandamus, quatenus eisdem auctoritate nostra concedas regulam beati Augustini, instituta, consuetudines et gratias sororum tuo ordini in tua provincia commissarum, ac in eodem loco per te vel per alios fratres tui ordinis, quos ad ydoneos decreveris, de cetero visitacionis officium exerceas, confessiones earum audire facias, instituas et destituas, corrigas et evellas, edifices atque plantes tam in capite quam in membris, in spiritualibus et temporalibus, prout saluti et utilitati earum videris expedire. Ad hec — ne sancte contemplacionis ocium per ipsarum contingat impedire discursum — quod in fundo sive solo proprio, ubi nunc morantur vel ubi in posterum ipsas morari contigerit, oratorium habeant et campanam necnon capellanum, qui eisdem celebret et in fratrum tui ordinis absentia exhibeat et ministret ecclesiastica sacramenta, auctoritate qua fungimur sine parrochialis ecclesie preiudicio indulgemus eisdem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre commissionis, constitutionis, ac concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum apud monasterium Clarevall(ense) Lingenen(sis) dyocesis VI^o idus Decembris anno domini M^o ducentesimo octogesimo VII^o apostolica sede vacante.

In quarum visionis et perlectionis testimonium sigillum curie Argent(inensis) presentibus est appensum; datum die et anno prenotatis.

In quarum quidem visionis et perlectionis testimonium sigillum curie Argent(inensis) presentibus est appensum; datum die et anno superius annotatis.

21

Der Straßburger bischöfliche Offizial Reinbold Vener von Schwäbisch Gmünd transsumiert auf Bitten der pauperes Heinrich von Koblenz, Dietrich von Brüssel, Otto von Neuweiler und Hugo von Zabern Gregors XI. Schreiben Ex iniuncto nobis von 1374 April 6 bzw. 7 zu-

^{c)} carum W